



**Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moraliũ ... t. ...**

In Dominicas totius anni

**Schrötter, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1688**

XVIII. In Domin. IV. Quadrag. Unde ememus panes? Ioann. 6. Arg. Ars  
artium multiplicandi panem.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56320](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56320)

## CONCIO XVIII.

IN DOMINICA IV. QUADRAG.

Unde ememus panes? Joan. 6.

## ARGUMENTUM.

Ars artium multiplicandi panem.



**V**ulgarius hæc mundanorū quæstio, vel potius querela est: *Vnde ememus panes? A.* Hanc quæstionem proponit solvendam uxor viro, vir uxori: *Vnde ememus panes?* Annus est longus, dies multi, hyems dura, tempora gravissima, lucrum exiguum: *Unde ememus panes?* Instat contributio, census est persolvendus, vestes atteruntur, oleum deficit in vase; potus in doleo, farina in lecytho. *Vnde ememus panes?* In te ob ætatem fractam spes exigua, in sanguine minor, in amicis minima, vel nulla: *Vnde panes?* Quid comedemus? aut quid bibemus? aut quo cooperiemur? Hanc eandem volvit, & revolvit mater quæpiam senicula: *Vnde ememus panes?* Multos educavi filios, filiasque, multæ filia, & filii unam ægrè educant matrem. Eandem sibi obiicit Sodalis quispiam: *Vnde ememus panem?* Cogito de uxore ducenda; *Vnde panis?* Si modò memet ægrem sustento, qui subinde filios, & servos, & ancillam sustentabo? *Unde ememus panes?* Ca-

equidem non adeo caro prostat, non item panis, non item vestimentum. Facile acquiram uxorem, sed non perinde victum, & amicum. *Vnde panes?*

Agitur quin etiam eadem quæstio non in magalibus duntaxat, & tuguriis; verum in ipsis basilicis ædibus. *Vnde panes?* Familia multa, expensæ majores, possessiones alienatæ, supellex obarata: *Vnde panes.* Huic problemati, præsentī sermone, respondere adnitar, illius fretus gratia; cujus benedictione hodiernæ saturatæ sunt turbæ.

## Narratio, &amp; Partitio.

II. Non ita pridem libellus in lucem prodiit de arte lucrandi panem; quo viso quidam nostrorum Summatum Censuram adjecit: Ad lucrandum panem, & adrem familiarem magis est opus capite quam libro. *Non libru vivitur ingenio.* Pone enim Patrem familias, aut Matrem sine sale, numquid tibi sapiet Oeconomia ipsius? Pone Institorem destitutum cerebro, an non fortunas ipsius in spinas abire perspicias? Pone de gente fungorum

Ingenio vivitur

opi-

opificem, an non tam parum panis, quam artis apud eum reperies? Utergo quis belle sibi cōsulat, ut fortunis prospiciat, opus est ad rem familiarem magis capite, quam libris. Hæc ut ad speciem gloriose jactantur, ita ad rei veritatem minus appositè. Quis enim cogitans potest ad staturam suam adjicere digitū unum? Aut quis ingenio suo Pactolum sistere, aut compedes Fortunæ injicere? sæpenumero ubi sublimè ingenium, ibi exigua felicitas.

Multo rectius ego artem lucrandi panem, non tam in ingenio, quam in manibus sitā dixero. Nobilium Aquitaniæ unus, quum in summa annonæ penuria plus cæteris abundaret, quaesitus, unde illi tanta rerum omnium superpeteret abundantia? Reposuit: *Hoc facit manus Dei, manus villici, & manus Damiani.* Idem ego omnibus aliis dictū concupio, & ex hodierno Evangelio præscribo. Vultis, ne penus vestra exhauriatur, ardetis, ut in omnibus abundetis magis, contendite, quatenus vobiscum sit *Manus Dei, Manus villici, & Manus Damiani.*

S. I.

*Manus Domini panem multiplicat.*

III. Ut de Manu Domini auspicer, vero verius est, quod scripsit sapiens in Proverbiis: *Benedictio Domini divites facit, nec sociabitur eis afflictio.* Non casus, aut fortunæ; non fraus, aut usura; non ars, aut indultria propria; sed favor, ac beneficentia Numinis, propria, ac præcipua causa est ditans homines protegensq; eos ab omni graviore molestia.

*Benedictio Domini divites facit.*

Reducite vobis Patrem credentium Abraham, quam pauper erat ille, quum exiret de terra sua, & de cognatione sua; at ubi accessit Manus Domini benedicens eum; *Erat dives valde in omni possessione auri, & argenti.* Alter textus habet: *Erat gravis, nempe opipus, & possessionibus.* Unde istud: Legite Hagio-graphum, & audietis: *Benedixit ei Dominus: Benedicam tibi & magnificabo nomen tuum.* Revocate nepotem ipsius Jacobum, quam pauper, & mendicus ille, quemadmodum de se testatur: *In baculo meo transivi Iordanem;* paulo post cum duabus turmis hominum, & armentorum reversus est. Unde istud? *Benedixit ei Dominus, Siste Josephum Salvatorem Ægypti, quam miser is erat, cum venditus, compeditus; mancipatus, & hic paulo post in solium erectus, & secundus post Pharaonem in illo regno fasces tenuit.* Unde quaeso? *Benedixit ei Dominus.* Mementote Jobi in sterquilinio sedentis, testa que saniem radentis, ut illi paulo post restituta sunt omnia duplicia cum redonata sanitate. Quibus artibus, & mediis? *Benedixitque Dominus magis novissimis ipsius, quam principio ejus. Benedictio Domini divites facit.*

IV. Divitiæ in S. litteris identidè Rori, Cisternis, & Fluminibus conferuntur, Cisternæ in Proverbiis Salomonis: *Bibe aquam de Cisterna tua, & deriventur fontes tui foras.* Id est, utere bonis, & noli nimium esse parcus in corpore tuo nutriendo, & in subveniendo aliis. *Flumini apud Palmistam; Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. Fluunt enim, & destuant Euripi instar*

Abraham benedictus à D eo

Gen. 12. 2.

Gen. 22. 2.

Gen. 37.

Job. 41.

psal. 62.

In Apophth. Hieronim

Manus panem multiplicat

Dicitur dicitur

Prov. 10. 22.

stat, nec sinepericulo nimium exundant. Rori in benedictione Patriarcharam *Det tibi deus te Rore cœli & de pinguedine terræ abundantiam.* Et de pinguedine terræ, & in Rore cœli erit benedictio tua. Sed quærere cum Jobo libet: *Quis dedit imbri vehementissimo cursum, & viam sonantis tonitruï ut plueret super terram? Quis est pluvia Pater, vel quis genuit stillas roris? Quis hoc agit, ut in hoc loco decidat imber copiosissimus, illic verò tellus in pulverem arenæ similem redigatur? Quis vaporat de cœlo rorem, aut solvit cataractas cœli? Quis inquam, nisi à quo cuncta dependent, à quo cuncta aluntur, vegetantur, conservantur! Id ipsum sibi quivis de opibus dictum putet, flumina sunt quæ affluunt, & refluunt; Cisternæ sunt, quæ facile exhauriuntur. Ros sunt, qui reficit & recreat, sed à Domino cuncta redundant. *Benedictio domini divites facit. Dominus pauperem facit & ditat. Paupertas & honestas à deo sunt.**

V. Aulici Vespasiani per summam Assentationem manum ipsius vocitare soliti: *Omnium rerum artificem;* perinde ac si cuncta, quæ intenderet, perficeret; Hunc efferret, illum pro libitu deprimeret; hæc pessumdaret, illa construeret; hunc locupletaret; illi vitam infunderet. *Manus Majestatis vestra rerum omnium artifex.* Verum solius Omnipotentis dextræ hoc elogium est: *Manus ipsius omnium rerum artifex; Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo, & in terra. Dixit & facta sunt.* Nostrum benedicere idem est quod bonum recognoscere, aut appreciari; at DEi benedicere, est facere,

seu communicare bona. Unde cui-cunque ille benedicit, benedictionibus adimpletur. *Dixit enim, & facta sunt, voluit & creata sunt.*

VI. Ite ad hodiernum Evangelium, indagare unde tanta abundantia, unde tantum incrementum in deserto? Patet abunde ex contextu: *Accipit Iesus panem, & cum gratias egisset distribuit discumbentibus, similiter & de piscibus quantum volebant.* Inter ipsius distribuentis manus crescebat obsonium, sola benedictione exundavit inexhaustum alimentorum seminatium.

Panes, ait Basilius Seleuciensis, *pariebant panes absque rustico labore parti, non de spinis erumpebant, sed de Domini manu efflorescebant.* Panis in manu Domini benedictus illico augmentabatur, efflorescebatque in uberrimos Cereris manipulos.

VII. Subtrahatur hæc manus à nostris conceptibus & utut semina verimus, sudaverimus, mercati fuerimus, operam ludemus parum, aut nihil lucrabimur. Etenim *nisi Dominus edificaverit civitatem frustra vigilat, qui custodit eam.* Impende curas, statue vigilias, confer omnem industiam, frustra vigilas, frustra desudas. Hinc tot infaultæ nuptiæ, tot rei familiaris jacturæ, tot rerum publicarum everisiones, ac omnis prope calamitas originem trahit; quia nimirum in consulto Deo sua prudentia, suisque nixi vixibus ea sunt aggressi.

VIII. Liquidumid ex S. Petri etiam nam lini magistri irritis vigiliis; de quibus ipse: *Præceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Non nos pecciteret operis, si vel parum ad explendam

Gen. 27.

Job. 38. 28.

1. Reg. 2. 2.  
Eccl. 11. 14.

Val. Max.

Psal. 124.

Io. 6.

Basil. Sol.  
Or. 31.Labor sine  
Deo irritus

Psal. 126.

Luc. 5. 4.

plendam famem nacti fuiffemus; sed nec oculum extraxiffe emacerat. Tam irrito labore totam noctem illam peritiffimus alioqui cymbæ, lini- que magifter traduxerat. Mox accedente manu Domini, & eodem in Verbo ejus rete laxante, conclufit tantam multitudinem, ut rumpere- tur rete. O opifices, cæterique Patres familias, quibus nihil ex voto fuit, quid est quod multa negotia vobis minus succedant, quod diu meditata in tranfverfum agantur? Quid est quod totas fæpe noctes in negotiis excube- tis, quod oleum & operam perdatis? Verum est defudatis, verum est vigila- tis, in fuendo, fabricando, secando vos prope rumpitis; fateor pretium duplum fæpe exi- gitis, captatisque; & tamen hæc om- nia parum aut nihilum proficiunt, femper idem inopiæ faxum volvitis, omnia lucra in facculum pertufum mittitis, quidquid inluit, effluit, quali ad Danaidum dolia damnati in caffum laborem veftrum impenderetis. Quin illa ipfa, quæ vobis profutura videban- tur, officiunt. Illa ipfa, in quibus rofas vos decerpturos ominabamini, acule- os in fiunt; illa ipfa, quæ decus pa- ritura videbantur, infames reddunt. Unde hæc? Quia manus Domini ab- est, Nifi Dominus &c. Ergo fi incre- mentum frugum exoptatis manum Domini invocare, & cum eadem au- fpicamini.

§ II.

*Manus Fillicy panes multiplicat.*

IX. Verum etfi ita dicit Manus Do- mini, illique potiores partes in accep- tis referenda funt; at tamen & noftras

manus jungere Dominicis pareft. Et- fi Deus der panem in campo, nulli tamen affa columba de cælo venit, nulli in furno cæleſti piſtus excoctus- que exhibetur, ſubigendum hæc far eſt noſtris manibus, atque ita maſti- candum. Eapropter præfatus nobi- lis Manu Domini junxit manum Vil- lici; induſtrii nimirum, & fidelis.

*Phil. Apoll.  
lib. 3. c. 8.*

X. Philoſtratus Apollinaris recen- ſet Jorcham Brachmannorum Anti- ſtitem menſas eo ſtruxiſſe artificio, ut ſuo- pte motu incederant, convivique obviarent. Itaque Regi ab ipſo invi- tato obviam proceſſiſſe, perinde ac ſi animata forent, & ſigno dato cõſtitiſſe

Celeberrima item eſt ſolis menſa in Agypto, quam vulgo inſcio adorna- re ſoliti magnates, plebi eam opinio- nem ingenerarunt; quali ab ipſo Phæ- bo ea obſonia illis communicata, alti- liaque aſſata, frixaque devolaſcent. Verum ejuſmodi abaci nobis minime expectandi, ſiquidem ut dixi: *Nullis de cælis aſſa columba venit.* Vel ut canit Horatius: *Nil ſine magno vira labore de- dit mortalibus.*

*Hor.*

Irrevocabilis illa lex Protoparen- tibus lata: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Non in otio, ſomno, torpo- re; non in luſu, & recreationibus; non in fallaciis, & offuciis, ſed *in ſudore vul- tus tui veſceris pane tuo.* Utut aliis arri- deat panis mēdati, & fraudū; utut fur- tivæ aliis aquæ dulciores, beatior, con- ducibilior, ſalubrior eſt proprio par- tus labore. *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus eſt, & bene tibi erit; occinit Hymnopæus.* Quia non alienum panem comedes, non furtiva pocula liguries, ſed manibus tuis par- tum

*Gen. 3. 19.*

*Labore vi- vitur*

*Pſal. 127. 2.*

tum, beatus est, & felix.

XI. Compertum id opinor erat illi simplici Vinitori, qui cum multos relinqueret filios superstites, morti vicinus, iis convocatis, hæc in postremis commisit; Ego ô filii mei carissimi à diuturno labore tandem ad quietem evocor, antequam tamen à vobis omnino sejungar bona vobis reposita indicabo. Nec verbis multis utar. In unica mea vinea reconditum thesaurum habetis, fodite, & invenietis. Dixit, & vixit. Filii à funere vix regressi vertere palam cespites, confringere glebam, sarrire terram, & totam adeo itaque circumfodere vineam sunt aggressi, thesaurum reperturi. Verum nullo invento vineam fertiliorem reddidere, quæ illis thesauri instar est reddita. Ita & manus movendæ cum Jove, si bonorum illius participes esse intendimus.

XII. Languet hæc manus, & parta duntaxat dispenset, si vel Cræsi, aut Crassi opes fuerint exhaurientur.

*Val. Max*

Cleomènes Rex Spartiatarum mirabatur nonnunquam incoram confortate sua quod licet regno amplo, & divite potiretur, tributisque gaudere amplissimis nihilominus in exodo anni parum, aut nihil in thesauro superesset. Cui Consort: Ne mirere Domine mi Rex, cum multos in aula nostra servem fucos, ac passeris, videlicet mimos, & assætatores otiosos. Quod enim fuci in alveariis, passeris in campo; id adulatoris in aula; & illi & isti mel, & frumenta decoquunt, depredanturq;.

Non applico ne impingam in quospiam nugivendulos, sed tantum addo per gratam accidisse Regi Consortis suæ admonitionem; & ab ea id consilii

accepisse, ut subinde munificentia suæ cataractas non nihilum sisteret; *Nolim, inquit, te Domine Rex amphoram esse domitua, sed anchoram.* Nolim ut te trahant palpones mercenario præconio instar amphoræ per mensam, jam in hanc, jam in illam partem, quoad exhauriant. *Nolim te amphoram, sed anchoram,* ut sistes, ut firmes, ut solidas regnum tuum, & bona tua, Nolim ut quidquid in portum tuum invchitur, illico evchatur; quidquid in horrea congregatur, absumatur; quidquid in thesaurum infertur profundatur. *Nolim te amphoram sed anchoram.*

Idem ego aliis enuntio, etsi sensu paululum disparato. Nolo vos amphoras, ut totum id, quod per septimanam infudistis, die solis exhauriatis. Maltm amphoram, ut quidpiam profuturis necessitatibus reservetis; ne in tempestate belli, aut alterius infortunii, ad scopulos desperationum allisi naufragemini. Volo ut dispensetis, ubi dispensandum; retineatis, ubi retinendū. *Volo vos anchoras non amphoras.*

XIII. Invitata Mater JESU ad nuptias cum eodem dilecto filio suo, intuensque præsentem in mensa defectum, in aurem demisse eidem insuffurat: *Fili mi vinum non habent.* Succurre, opitulare, & manifesta divitiarum gloriæ tuæ. Si id intuitu aliorum præstare renuis, me Matrem, quam semper observare es solitus, respice, & amore mei elargitor. Quid ille? *Nondum venit hora mea.* Veniet tempus, quo dispensanda illis est gratia mea; quo propinandum vinum, quo amicus excipiendus; sed nondum venit hora mea. Præstolare paululum, quatenus desideria

*Temporalis  
honorum  
suis qualis*

*Ioan. 2.*

desideria dilata acuant saporem, & gratiam reddant acceptabiliorem.

XIV. In hodierno Evangelio Dominus hospites suos non volucrum, aliorumque animalium carnibus saginat, non delicatioribus convivium bellariis cohonestat, non vinum masticum propinat, sed panem nauticum; & pisciculos à puero paupere præstinosos dispensat. Quorsum hæc? Ut nos doceret, tempora tempore temporenda; necessitati, non cupiditati indulgendum; anchoras esse, non amphoras.

Imitetur hæc Christi frugalitatem bonus Villicus, sit manus ipsius prudens, sit compendiosa, sit laboriosa; sit anchora, non amphora, reddat unicuique, quod suum est, & panis haud defuturus.

## §. III.

*Manus pauperum augmentat panem.*

XV. Tertio ad augendum panem plurimum commodare rectè existimavit præfatus Princeps *Manum Damiani*; pauperis nimirum miserimi à se aliti. Eleemosina enim semen quodpiam est, & manus pauperis ager, cito reddens serentibus fructum. Sat liquidò Doctor Gentium id Corinthiis in hæc verbainculcavit: *Qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Exiguum seritur, & plurimum metitur, micæ distribuuntur, & latifundia implentur, panis particula sæpe fasto non capitur granario. *Qui seminat in benedictionibus &c.* Qui seminat abundanter, metet itidem benedictionem copiosissimam.

XVI. Ad stuporem exaggerat Plinius feracitatem Affricæ, testatus ex u-

no modio centum quinquaginta identidem colligi, & ex uno grano quadringenta germina Augusto Cæsari ad miraculum fertilitatis exhibita fuisse. Verum ut ait S. Chrysostomus: *Fertilior est ager pauperum, cito reddit donantibus fructum.*

Mirandum est illud scænus, quod Ægyptus, aliæve gentes gloriantur, mundante imprimis Nilo. At fœcundior est ager pauperum &c.

Stupendum illud quod in Provincia Cothoc, & in Pannonia evenisse perhibent Historiographi, ut triticum in auream messem excreverit. Verum & istis fœcundior est ager pauperum, fertiliorem reddit serentibus fructum. Quid enim est, quod quis serit in manibus pauperis? particula panis. Quid metit? Temporalem, & æternam saturitatem. Quid serit? obulum? Quid metit? inæstimabiles thesauros? Quid serit? vestem attritam, lacernam. Quid metit? Stulam gloria. Quid serit? pulillum terræ. Quid metit? portionem cæli. Sere, sere ô bone colone, cum tam copiosa sit messis, tam fructus abundans, tam ingens compensatio. Sere, quia fœcundus est ager, cito reddit serentibus fructum.

XVII. In agro terrestri industrius etiã agricolafalli potest, & vel ob aëris inclementiam, vel aliis de causis spe excidere. Quisquis serit in manu pauperis falli non potest. Tenet oraculum Omnipotentis, quod cælo etiam, ac terra dispereunte inconcussum subsistet: *Date, & dabitur vobis? Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam dabunt in sinum vestrum.* Tu dabis modicum & multum metes; erogabis cochleari, & modio recipies, fragmenta disperties, & coagitatam mensuram re-

S. Chrysost.  
in Ep. 2. ad  
Cor.

Eleemosyna  
semen ferti-  
le

2. Cor. 9.

Fertilitas  
terra Plin.

Eleemosyna  
non fallit

Luc. 6.

S. Greg. h. 40  
in Evang.

feres. Unde hoc? Loquatur D. Gregorius: *Quidquid tribuitur pauperi subtili consideratione pensetur, non est donum, sed mutuum. Quia quod datur, sine dubio multiplicato favore compensatur.* Christus nos ditare voluit, non nudare, manere nostra vult, non perire; fœnus accepit non donum. Quoniam, *fœneratur Domino, qui miseretur pauperis. Quam verus est Deus, tam verè recipies cum fœnore, & quidem si tibi proderit ad salutem etiam in hoc sæculo, sin minus in futuro.*

3. Reg. 17.

XVIII. Ingravescente in Palæstina summa annonæ penuria Dominus consulurus Vati suo, eundem in Sareptam Sidoniorum ad viduam quampiam destinavit. *Vade in Sarepta Sidoniorum, & manebis ibi, præcipi enim mulieri vidua, ut pascat te.* Elias actis Deo gratis sese ad futuram Nutricem suam accingit, salutem, & fame pressus quidpiam panis & aqua efflagitat, *Da mihi paululum aquæ in vase, & aqua in vase, & buccellam panis in manu tua.* Bona vidua, quam læta ex adventu hospitis, tam afflicta egestate illico reclamat: O bone hospes deus tuus sit testis bonæ voluntatis meæ, sed & extremæ indigentia. Etenim eò redacta sum miseriarum, ut nec quicquam ultra habeam in potestate, nisi quod funeri meo, & filii mei prælibe, & moriar. *Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farina in bideria, & paululum olei in lecytho. Colligo duo ligna, ut ingrediar, & faciam mihi, & filio meo, & comedamus, & moriamur.* Quis quæto hic ultra urfisset? illius fuisset? Non admisit tamen excusationem

vid.

Elias; sed ait: Ne timeas ô bona Domina, sed perge, & mihi prius, quam tibi pinse, pistumque è vestigio affer. Tibi consulens, si mihi quidpiam erogaveris, & quidquid dederis ad te cum auctario revertetur. Confide Deo meo, cujus tum primum auxilia luculentiora evadunt, quum humana deficiunt. Ille est cujus nutu hæc potens mundi machina regitur; qui ut vitam elargitur, ita etiam pro suo conservat arbitrio. Quid factum? Credidit mulier Vati, accinxit se labori, miscuit farinam, & en oculatissimo prodigio in ipsa tubactione augerè conspicit. *Hydria farina non defecit, & lecythus olei non est imminutus.* Defecerunt divitum copia; defecerunt, & cellaria Regis Achab, at non defecit viduæ modicum, quod habebat. Pugillus unus farinae, & gutta aliquot olei abundaverunt Prophetae, viduæ, filioque ipsius in triennium sustentandis. Quod si vidua hæc Eliam non exaudisset, si modicum hoc panis denegasset, si sibi, filioque prius pinfisset, si servum Dei tabescere sivisset, verò verius id quod verebatur accidisset, & farina cum oleo uno jentaculo consumpta fuisset. Jam verò quod miseratione haud vulgari, quin & naturæ ad speciem adversæ, virum Dei pluris, quam vitam propriam fecisset; tam largè illam Numen remuneratus est, ut modicum illud indeficiens cornu copia evaderet.

XIX. Discant hinc pusillanimes non diffidere de Dei bonitate, & si vel unus panis ad manum sit illum depromere, dumque indigo partiri,

con-

Elemosyna  
quomodo  
danda

S. Basil. h. 23.  
de Elem.

confidendo de Dei clementia illum ipsum abunde remuneraturum. Monitum hoc D. Basilii in suis de elemosyna homiliis: *Si unus tantum tibi sit panis, & ad fores rogatur, deprome illum, & tollens manum in cœlum dic: De modico do fratri, & tu Domine succurre periclitanti.* Tu nosti ô Domine, quod modicum habeo, hoc ipsum tamen, quia Te in paupere hoc revereor, communico. Tu vicissim mei miserere, & mihi egentî, ac periclitanti auxiliare. Subdit mox in solatium sequentia. *Ne dubita, quin panis, quem in hac vita dabis esurienti, agriculturæ semen ad copiam ministrabit.* Ditiior eris, postquam minus habere cœperis, pauperi elargiendo. *Fœcundus est enim ager pauperis &c.* Nec potest largitatis deesse materia, ubi Christus & pascit, & pascitur. Ubi cunq; misericordia intervenit, res distributæ pauperibus, deficere nequaquam queunt. Augmentatille, qui implet omne animal benedictione.

XX. Quod si tamen alto Divini consilio vel ne usura, aut versura gratia videre erogare, vel ut spem altius attollas, vel alio tuo bono, mellis non actulum centuplum responderit, crede fide indubia responsuram in altera. *Quoniam quicumque dederit calicem aque frigida uni ex minimis istis, tantum in nomine discipuli, non perdet mercedem suam.*

Matth. 10.  
v. 42.

Evirat. in  
Prælo spirit.  
s. 119.

Audiit hæc quondam Evagrius Philosophus, quem Synesius Antistes ad Christi scholam, cultumque traduxerat, & tercentum auri pondoin pauperum stipem eroganda consigna-


vit, dicens: *Accipe hæc & distribue pauperibus, & da mihi cautionem manutua, quod Christus ipsum mihi reddet in futuro seculo.* Accepta conditione Præsul, & auro, syngrapham exarat Philosophoque tradit. Aliquot inde annis supervixit Evagrius, syngrapha hæc bene obserata, quam tandem fati proximus sibi in manum à filiis dari unice efflagitavit. atque cum eadem tumulari. Paruerunt filii, & pro pietate debita genitori parentarunt; eadem cautione apposita. Tertius jam à sepultura in noctem dies ierat, cum Evagrius Sinesio Antistiti se visendum exhibet, eumque ad sepulchrum pergere jubet, recepturum chartam fidei testem datam. Sibi enim abunde satis factum esse, & id ipsum ibidem contestatum. Facto die Episcopus cum Clero locum sepulchri adit, reperitque reserata sandapila Syngrapham à se confectam; in defuncti manu, hac norma subscriptam: *Ego Evagrius Philosophus accepi debitum in his literis, manu tua conscriptum, satisfactumque mihi abunde est, & nullum habeo contra te jus propter aurum, quod dedi tibi, & per te Christo Deo, & salvatori nostro.* Quod miraculum procul dubio accidisse censendum est, quatenus eodem & fides pusillorum firmaretur, & liquido constaret, quod ait Sapiens: *Fœneratur omino qui miseretur pauperis.*

Quod si tamen ejusmodi incredulus in hac urbe raperiretur, qui vadem, ac syngrapham etiamnum exigat, ego primum memet interpono, syngraphamque daturum polliceor, cui si non fuerit satisfactum à Christi-

sto Assertore nostro, ( quod animo implicat ) veniat post mortem, diem mihi dicat, refundam cum scenore, si vel ostiatim emendicandum foret.

Sed cum saniora de vobis precon-  
cipiam, ratum deinde, fixumque in

animis vestris esse concupio, si Ma-  
nus Domini, Manus villici, Manus  
Damiani vobiscum fuerit, vos  
in tempore, & in æterni-  
tate abundaturos  
paribus, Fiat.



## CONCIO XIX.

### IN DOMINICA PASSIONIS.

Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es, & dæmo-  
nium habes. Joan. 8.

## ARGUMENTUM.

### Dominica Passionis Dies Parasceves.

+

**I**es hodierna, no-  
menclatura ab Ec-  
clesia recepta, vul-  
gò Dominica Pas-  
sionis indigitatur.  
A. Et hoc ex quo  
capite? Nondum legitur Passio Domi-  
ni, nondum auditur is ductus ad  
Annam, & Caipham, nondum illu-  
sus, & sperus ab Herode; nondum  
flagris concisus, & damnatus à Pila-  
to; nondum in crucem trabalibus  
clavis confixus à militibus; nondum  
alio quopiam supplici genere affectus  
a Judæis, & tamen Dominica Passio-  
nis proclamatur. Et licet mentio fiat  
lapidum in Evangelio, eo tamen  
grandine nequiquam percussus

est Dominus, sed solis minis, calum-  
niis, convitiis proficissus. Qua ergo de-  
causa Dominica hæc transit in Paral-  
ceven, in Passionem? Ea ipsa; quod  
tam enormibus sit impetitus calum-  
niis ac convitiis. Hæc ipsa tantum  
Christo, vel etiam majus in tulere tor-  
mentum; quantum unquam sub tem-  
pus Passionis suæ sustinuit. Quod mihi  
& ad elucidandum præsens Evangeli-  
um, & morum institutionem argu-  
mentum esto.

#### Partitio.

II. D. Jacobus Apostolus de-  
pingens nobis virulentiam linguæ hu-  
manæ,